

- 8 Populus Parochiarum Regularium non est exemptus ab Episcopo.
- 9 Regularium Parochorum electio spectat ad eorum Prelatos.
- 10 S. Congregationis declaratio, quod Parochi Regulares tempore Episcopalis Visitationis tenentur recipere Confessarios missos ab Episcopo.

Ed cum hucusque locuti simus de Confessariis Regularibus, eorum approbatione, & Privilegiis, incongruum non erit annexere hic quæstionem illam; An possit Episcopus occasione visitationis mittere Confessarios ad Ecclesias Regulares curatas, qui populorum illdem subditorum confessiones excipiant? Mos fuit Eminentissimi ac Reverendissimi Gregorii Cardinalis Barbadii olim Episcopi Patavini, visitaturi Diocesim præmittere Missionarios, Sacerdotes scilicet, tum Sæculares, tum Regulares, qui illum præcederent de Villa in Villam, & de Parochia in Parochiam; prædicando plebibus verbum Dei, earum confessiones audiendo, ac Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento illas nutriendo; ut uberiorem fructum ex visitatione sui Pastoris caperent. At anno 1668. nonnulli Curati Regulares, præfecti animarum regimini in Ecclesiis unitis, ac de Mensa suorum Monasteriorum, detraherentur recipere eisdem Missionarios Confessores; putantes, id non licere Eminent. Prælato, & vergere in præjudicium suorum Privilegiorum; quare delata controversia ad Sacram Congregationem Episcoporum, ac Regularium pro informatione ejus, ad favorem Curie Episcopalis Patavinae, in qua Auditoris munere tunc fungabar, scripsi: posse Eminentissimum Præsulem mittere antedictos Sacerdotes Missionarios, tenerique Parochos Regulares eos in suis Ecclesiis recipere, ac pro prædictis functionibus expendis admittere.

Primo, quia concors est doctrina Theologorum, ac Canonistarum, quod Episcopus tamquam Parochus Parochorum in sua Diocesi, & eorum Superior, ubi agit de salute animarum, potest mittere Sacerdotes, qui eorum confessiones audiant, non expectato Parochorum beneplacito, imò ipsi invitis. S. Thomas Opus. 19. contra impugnantes Relig. cap. 4. & in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. q. 5. Sotus dist. 18. q. 4. art. 5. S. Antoninus 3. p. tit. 17. cap. 9. Glossa in Clem. Dudum. verb. Liber. De Sepulchris. Navarri in cap. Placuit dist. 6. num. 37. Reginaldus lib. 1. num. 46. Suarez de Pœnit. disp. 26. scilicet. 1. num. 9.

Secundò, quia inferior non potest resistere voluntati Superioris in bene agendo; sed teneretur obedire, juxta illud Apostoli: *Obedite Præpositis vestris*. Ad Hebr. cap. 13. Vers. 17. At Curati Regulares sunt inferiores, ac subiecti Episcopo in concernentibus curam animarum. Tamburin. de Jure Abbat. tom. 3. disp. 5. q. 11. num. 45. Loterius lib. 1. q. 24. n. 49. Fagnanus in cap. Cum Capella n. 14. & scilicet de Privilegiis. Ergo recusare non possunt Confessarios prædictos.

Tertiò, nam resistere receptioni horum Confessariorum præcedentium proximam Eminentissimi Pastoris visitationem, et resistere Juri Canonico, à quo eorumdem missio ordinatur. cap. Inter cætera 19. de Offic. Ordin. ubi ita legitur dispositum: *Sancimus, ut Episcopi viros idoneos ad sanctæ prædicationis Officium salubriter exequendum assumant, potentibus in opere, & sermone; qui plebes sibi commissas, cum per se idem nequiverint, sollicitè visitantes, eas verbo edocent, & exemplo*. Concordat Textus in cap. 1. §. Sanct. de Consol. in 6. Et hujusmodi Confessariorum præmissionem commendat Jordanus tom. 2. lib. 7. tit. 1. num. 14. & Fagnanus in cap. Ut supra num. 14. de Offic. Ord.

Quartò, quia si non liceret Episcopo uti in Visitatione Diocesim suam his Missionariis, esset pejoris

conditionis, quam sit quilibet alius simplex Parochus, cui de jure conceditur, urgente necessitate, conditorum assumere per aliquot paucos dies. Loterius lib. 2. q. 27. num. 166. Layman lib. 5. traç. 6. cap. 10. num. 13. Ergo circa illos Episcopus impediri non potest.

Quintò, nam hæc resistentia Parochorum Regularium est injuriõsa Sacro Tridentino Concilio; à quo eorum Ecclesiæ subijciuntur Episcopi quo ad visitationem circa curam animarum, ut in sess. 7. de ref. cap. 7. & sess. 25. de Regular. cap. 11. Appellatione autem Ecclesiarum non solum veniunt Altaria, Confessionalia, Calices, Paramenta, & similia, de quibus Rota coram Seraphino Decif. 1667. num. 4. sed ipse populus, & Parochiani, quorum curam gerunt prædicti Regulares; & idem Episcopus debet eorumdem conscientias visitare, eorumque mores emendare, & corrigere; idque agit opera Confessariorum, quos mittit ante se juxta text. in cap. Placuit. 10. q. 1. Hic enim est principalis scopus Episcopalis visitationis, ut jubet idem Conc. Trid. sess. 24. de ref. cap. 3. & advertunt Patavinus de Visitat. part. 1. q. 7. à num. 4. & seqq. nec non Belletus part. 1. de Favore Cleric. reali. §. 5. num. 113. atque Loterius lib. 1. q. 25. num. 29. ubi populum appellat Ecclesiam mysticam.

Sextò, quia Parochi Regulares respectu Curæ animarum, quam exercent, in nihilo differunt ab aliis Parochis sæcularibus quo ad subjectionem, & obedientiam exhibendam Episcopo, attenta Bulla Gregorii XV. incipien. *Inferutabili*. de qua Tamburin. de Jure Abbat. tom. 1. disp. 25. quest. 7. num. 51. & Loterius lib. 1. q. 24. num. 54. in ea enim dicitur, quod ipsi Regulares *In his, quæ hujusmodi curam, seu administrationem Sacramentorum concernunt, omnimode Jurisdictioni, Visitationi, & correctioni Dilectissimi Episcopi tamquam Sedis Apostolicæ delegati plene in omnibus subijciuntur*. Sed Parochi sæculares neque resistunt, neque resistere possunt Missioni prædictorum Confessariorum tempore Visitationis Episcopalis. Ergo neque Regulares, dum in hac parte Episcopus est eorum Superior tamquam Sedis Apostolicæ delegatus, cui nefas est non obedire.

Septimò, tantò magis quia Confessarii, ac Missionarii prædicti non mittuntur propter ipsos Regulares; sed ob populum, qui non est exemptus à Jurisdictione Episcopi, etiam Ecclesia Parochialis sit Regularium. cap. Per exceptionem. 9. §. Verum. De Privilegiis. in 6. Tamburin. d. tom. 1. disp. 15. q. 7. num. 34. Loterius d. lib. 1. q. 24. num. 14. Rota Decif. 156. num. 6. part. 1. recent. Igitur Episcopus impediri non potest, ne populo sibi subdito mittat Confessarios extraordinarios, à quibus verbo Dei erudiat, ac Sacramentis purificetur occasione Visitationis.

Neque valet argumentum, quod Parochi Regulares ducunt ab eorum electione, atque deputatione Capellanorum in suis Ecclesiis; cum utraque spectet ad eorum Prælatos, non autem ad Episcopum ex Bulla S. Pii V. de qua Tamburin. tom. 3. disp. 9. q. 18. num. 3. & ex Confit. Sixti V. de qua Celspedes de Exempt. Regular. cap. 8. dub. 54. n. 2. Siquidem prædictæ electiones, ac deputationes sunt per modum permanentis; hæ autem missiones Episcopi sunt per modum transiensis, & occasione Visitationis tantum, quæ in nihilo derogant, vel præjudicant juri eligendi Prælati Regularibus competentis; prout in nihilo offendent ipsos Curatos Regulares, aut eorum Capellanos; quia tam isti, quam illi remanent in eorum officio, & valde juvantur ab istdem Missionariis, præcipue in purificandis conscientiis Parochianorum, qui sæpe sæpius ob veterandiam, vel aliis de causis, non consentiunt intergere peccata sua ipsi Parochis, vel Capellanis ordinariis; ut pie considerat S. Thomas d. Epufc. 19. c. 4. col.

col. 11. quod utinam omnes Parochi legerent, & attentè considerarent. Cæterum eum nonnulli ex prædictis Religiosis Curatis, ac eorum Superiores trepidarent, etiam non esset timor, sibi præjudicium inferri, oblatu fuit Sacræ Congregationi sequens supplex libellus, à qua emanavit subsequens Declaratio: *Tenor supplicationis*.

Eminentiss. & Reverendiss. Dom. Card. Barbadii Episcopi Patavini pro sua egregia Pastoralis sollicitudine Diocesim suam visitaturus, charissimam meliora Regulando nonnullis Sacerdotes Sæculares, sive Regulares, pietate, doctrina, & prudentia selectos præmittere per aliquot paucos dies intendebat, ut Visitationis quasi Præcursores, Prædicatione Verbi Dei, & Sacramenti Pœnitentiæ administratione viam in animis ovium Pastori mox ad venturo parantes, prava in directa facerent, & arge asperas in vias planas; nempe ut facilis posset Pastor bonus gregem suum in semitas mandatorum Domini deducere. Sed cum Regulares nonnulli in Ecclesiis suis Parochialibus curam animarum personarum sæcularium exercentes præstant, Eminentissimum Episcopum non posse prædictos Sacerdotes ad præenarrata munia in Ecclesiis Regularium curatis obvianda præmittere; sed posse per se ipsum dumtaxat illa ibi exercere.

Idem Eminentiss. Episcopus cupiens ponere fines suos pacem, & mutua charitate multiplicare fructum Visitationis suæ, quærebat ex hac Sacra Congregatione: *An prædicti Regulares teneantur Sacerdotes ad præscriptam causam, & ad præenarratum effectum missos in Ecclesiis suis curatis admittere*.

Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, respondit: *Teneri admittere*. Romæ 31. Augusti 1668.

M. Cardinalis Ginetius.  
Loco & Sigilli.  
C. de Vecchiis Archiepif. Athen. Secretarius.  
Visita, & licentia 1668. adi 28. Settembre in Collegio per la sua esecuzione.  
Giulio Cesare Alberti Segretar.

DECISIO XLVIII. ARGUMENTUM.

Continet hæc Decisio Eminentissimi Cardinalis Majoris Pœnitentiarii originem, antiquitatem, & in præteritis sæculis amplissimam Auctoritatem: Invenit numerum ejus Officialium, ac Ministrorum. Refert novissimam Constitutionem Innocentii Papæ XII. anni 1692. reformativam Officii S. Pœnitentiariæ, ex qua dignoscitur, quando Major Pœnitentiarius possit, aut non possit absolvere à reservatis, etiam in Bulla Cænæ Domini, & à censuris etiam latis ab homine. Item dispensare, vel non, super Irregularitatibus, præcipue cum Hæreticis, Apostatis, male promotis ad Ordines, & Beneficia, cum Simoniacis, cum Regularibus, & cum homicidiis. Item quomodo, & quando dispensare valeat circa impedimenta Matrimonii, Vota, Juramenta, male ablata, vel retenta; & quam habeat Jurisdictionem cum suis Officialibus, & Ministris. Tandem docetur, qui possint esse Executores litterarum S. Pœnitentiariæ; & Quot in earum executione sint observanda? Item Qualis sit Canonici Pœnitentiarii in Ecclesiis Cathedralibus obligatio, & potestas?

SUMMARIUM.

- 1 Pœnitentiarii Majoris Urbis Romæ Officium.
- 2 S. Pœnitentiariæ Romanæ origo antiquissima.
- De Sacramento Pœnitentiæ.

- 3 Pœnitentiarius Major est etiam Cardinalis.
- 4 Leander Cardinalis Coloredus laudatus.
- 5 Pœnitentiarii minores Romæ qui, & quot? Laurentiani Qui?
- 6 Pœnitentiarius Major Cardinalis quando audiat Confessiones?
- 7 Officialis duodecim Sacræ Pœnitentiariæ qui, & quales sint?
- 8 Hieronymus de Bertis Officialis S. Pœnitentiariæ commendatur.
- 9 Pœnitentiarii majoris auctoritas amplissima antiquis temporibus.
- 10 Innocentius XII. reformavit Officium Sacræ Pœnitentiariæ anno 1692.
- 11 Summarium ejus Constitutionis, ac Reformationis.
- 12 Indulgentia dierum 100. se submittentibus Virgæ Pœnitentiarii Majoris Pœnitentiarii.
- 13 Litterarum Sacræ Pœnitentiariæ executores qui esse possunt?
- 14 Magistrorum in Ordinibus Religiosis quatuor sunt genera. Et quæ?
- 15 Privilegium Jesuitarum non dotorum aperiendi Litteras S. Pœnitentiariæ ac communicetur aliis Religiosis?
- 16 Executor Litterarum S. Pœnitentiariæ tria servare debet. Et quæ?
- 17 Pœnitentiarius Major potest approbare Confessarios ubique.
- 18 Pœnitentiarii Canonici in Ecclesiis Cathedralibus obligatio, ac facultas.

Cum scriptum sit ab Ecclesiastico cap. 32. vers. 7. *Gemmula carbunculi in ornameto auri*; & prærens tractatus de Sacramento Pœnitentiæ sit aurum pretiosum, eo quia potestas absolvendi à peccatis provenit à pretioso Sanguine Christi, *Qui* (ut ait Joannes Apoc. 1. 5.) *dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in Sanguine suo*; & de quo ita locutus est Apostolorum Princeps i. Petr. 1. 18. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis; sed pretioso Sanguine quasi Agni immaculati Christi*; idcirco convenit, ut ad ejusdem tractatus ornamentum summatim hic inferamus *Gemmulam Carbunculi*; scilicet Decisionem de Sacra Pœnitentiaria Urbis Romæ; cujus suprema facultas refulget in toto, Orbis Christiano in excessibus remittendis, atque super Votis, Irregularitatibus, aliisque penis dispensandis. Itaque videbimus.

- Primò: Quid sit Sacra Pœnitentiaria Urbis Romæ, & quando habuerit originem?
  - Secundò: Qui, & quot sint ejus Ministri, seu Officialis?
  - Tertiò: Quæ, & quanta fuerit olim ejusdem Sacræ Pœnitentiariæ auctoritas?
  - Quartò: Quæ nostris temporibus sit ejus facultas?
  - Quintò: Quis possit aperire, & exequi litteras Sacræ Pœnitentiariæ?
  - Sextò: Quæ, & quot sint observanda ab eorumdem Litterarum executorum?
- Quo ad Primum: Sacra Pœnitentiaria Urbis Romæ est Tribunal à Summo Pontifice erectum, in quo unus ex sapientioribus, ac magis piis Cardinalibus præsidet; & tamquam ejusdem Summi Pontificis Vicarius, ac Delegatus, ponentes ab universo Orbe Christiano ad ipsum recurrentes excipit, audit, vel præsentialiter, vel per supplices libellos, eosque ab excessibus quantumvis enormibus, aut reservatis, vel per se, vel per alios Confessarios, quos subdelegat, absolvit; & cum istdem circa Vota, Irregularitates, aliave penas spirituales dispensat. Cùm enim Summus Pontifex Romanus sit Vicarius Christi, & habeat universalem Jurisdictionem in toto Orbe terrarum; ac ad eum pertineat cura animarum omnium Christi fœdium; hoc Tri-

bunal, & Officium Sacræ Pœnitentiariæ instituit, ut ad illud pro suarum conscientiarum expurgatione quilibet Christianus possit accedere, & inde beneficium absolutionis, seu dispensationis pro foro conscientie gratis reportare. Ludovic. Gomez, (qui ejusdem Sacræ Pœnitentiariæ Regens fuit sub Paulo Papa Tertio anno 1538.) in Regul. Cancell. Pœnit. q. 1. cap. 2. Octavianus Vestrius in Practica Rom. Cur. lib. 1. cap. 2. & ibi Gavatius in Annotat. verb. Pœnitentiariæ, ex Theologis Azorius tom. 2. lib. 5. cap. 39. & ex Historicis Chaffanæus in Catalogo Glor. Mund. part. 4. Confid. 17. Quo verò ad ejus originem, etfi non habeatur certum initium, non est ambigendum, Sacram Pœnitentiariam fuisse institutam Romæ in primitiva Ecclesia, ut differit novissimè Eminentiss. Cardin. de Luca in Theatro Veritatis in Relatione Rom. Curie discurs. 12. ea ratione, quia cum temporibus Paganorum, & sub eorum persecutionibus multi fidelium, metu tormentorum, in Apolliam a fide, & alia gravia peccata caderent, quorum absolutio in respectibus solius Pontificiæ erat potestatis; Pontifex autem per seipsum hoc absolutionis munus cum injunctioe salutari pœnitentiæ, ob alias graves occupationes solus explicare non posset; Summum Pœnitentiarium, tanquam suum Coadjutorem; ac Vicarium pro recipiendis, ac absolvendis pœnitentibus deputavit, ut ex Cassodoro, Socrate, ac Sotomozeno antiquissimis Scriptoribus deducunt. Gavatius in addit. ad Vestrium d. cap. 2. & Gomez d. q. 1. cap. 2. ubi observat, Sanctum Damasum Papam scribere in Vita Sancti Marcelli, quod iste Pontifex instituerat in Urbe Cardinales XV. propter baptismum & pœnitentiam multorum; fuit autem S. Marcellus assumptus ad Pontificatum Anno 304. Concordat Gonzalez. Comment. in lib. 1. Decretal. ad cap. Ad reprimendam. 8. De Offic. Ord. num. 3. scribens, quod in primis Ecclesiæ seculis ad Episcopos spectat pœnitentias imponere fidelibus lapsis, ad Ecclesiam revertentibus, & confitentibus peccata sua, ut ex Can. 5. Concilii Anciran. quod fuit celebratum circa Annum Domini 308. ut legitur in tom. 1. Concilior. in princ. d. Conc. Ancir. & notat ad illud Illustrissimus Episcopus Bapæginus in sua Historia Conciliorum Anno 314. Sed (subdit Gonzalez) cum effluente fidelium peccantium numero, Episcopus non sufficeret pœnitentiam imponendis, reservata Episcopis pœnitentia solemniter impositione, facultas imponendi pœnitentiam privatam Presbyteris data fuit, qui ex eo Pœnitentiarii dicti fuerunt, & in singulis Ecclesiis creati sunt unus Sacerdos ad illud ministerium, Socrates lib. 5. Histor. cap. 19. & Ant. Augustinus in Præfat. ad Pœnitentia. Igitur etiam Romæ vetustis illis temporibus, & hac de causa institutum fuit Sacræ Pœnitentiariæ officium, quod summo zelo salutis animarum exercuit sub Gregorio Nono Sanctus Raymondus de Pegniafort, qui relatus fuit inter Sanctos Anno 1601. à Clemente VIII. in antea pariter Summo Pœnitentiario, ut testatur Idem Illustrissimus Baptianus in Annalibus Sacerdotii, & Imperii d. Anno 1601. n. 12.

Quo ad Secundum: Regimini Sacræ Pœnitentiariæ præsidet semper unus ex Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ætate, moribus, scientia, prudentia, pietate, ac benignitate conspicuus, qui eligitur à Summo Pontifice, & vocatur Major Pœnitentiarius, hancque dignitatem in præfenti obtinet Eminentissimus, ac Reverendissimus Leander Cardinalis Colloredus, de quo disputabile est: An major sit splendor, quem ipse à Purpura ac Dignitate prædicta recipit, vel fulgor ejus heroicarum virtutum, quibus Purpura ipsa, atque Officium Sacræ pœnitentiariæ coronat. Eminentia sua pro audiendis auricularibus confessionibus habet Sacerdotes trium

diversorum Ordinum Confessarios Religiosos; pro regimine autem sui Officii, & pro expediendis Litteris, ac Bullis pro absolutionibus, ac dispensationibus personarum absentium retinet Officiales duodecim. Religiosi Confessarii, qui minores Pœnitentiarii dicuntur, alii sunt à Societate Jesu, qui resident in Vaticano, & in Ecclesia Principis Apostolorum confessiones Sacramentales audiunt. Alii sunt Ordinis Minorum observantium Sancti Francisci, habitantes penes Basilicam Lateranensem, & in eadem exomologes pœnitentium auscultantes. Alii Ordinis Prædicatorum degentes apud Basilicam Liberianam, seu Sanctæ Mariæ Majoris, in qua Sacramentum Pœnitentiæ administrant. Consimiles ex antedicta Societate Jesu hoc idem munus exercent in Alma Domo Lauretana, & prædicti omnes residentes in Confessionariis in signum suæ potestatis virgam in manibus tenent, & nonnulli potiuntur prærogativis, suntque subiecti Summo Pœnitentiario; ut latius scribit Eminent. Card. de Luca in d. Relatione Rom. Curie disc. 12. à num. 8. & seqq. Sed ipse quoque Eminentissimus Cardinalis Major Pœnitentiarius singulis annis personaliter audit Confessiones Sacramentales fidelium in tribus nominatis Basilicis; videlicet die Dominico Palmarum in Lateranensi; feria quarta subsequenti in illa Sanctæ Mariæ Majoris, in feria autem quinta Cœnæ Domini, & feria sexta Passionis illius in Vaticana Divi Petri Apostoli; federeque super elevato solio, tenens in manu virgam Pœnitentialem; cui qui reverenter se tangendos submiserint, centum dies indulgentiæ consequuntur ex concessione Pauli Quinti ut traditur à Marco Paulo Leone in Praxi ad Litter. Major. Pœnitent. part. 1. pag. 5. qui subdit; quod ad Cardinalem Majorem Pœnitentiarium spectat, ter quolibet Annum coram Summo Pontifice solemniter Missam celebrare, id est feria quarta Cinerum, feria sexta Majoris Hebdomadæ, & die Anniversario Defunctorum.

Officiales autem duodecim, quibus utitur Major Pœnitentiarius pro expeditione litterarum, absolutionum à casibus reservatis, & censuris, nec non dispensationum pro foro conscientie; sunt Regens Sacræ Pœnitentiariæ, qui solet assumi ex Auditoribus Sacræ Rotæ, Decanus, Corredor, Consultores duo, unus Theologus, alter Canonista, Sigillator, Procuratores; seu Secretarii tres, ac alii tres Scribes; quorum omnium officia enarrantur à d. M. Paulo Leone in cit. part. 1. à pag. 2. & seqq. nec non ab Eminent. Card. de Luca d. disc. 12. à num. 15. usque in fin. ubi ab utroque duo præcipua de iisdem Officialibus notantur: Unum est, quod omnes præstant Juramentum de secreto servando circa casus, qui in sacra Pœnitentiaria discutuntur; ideoque ad sigillum tanquam Confessarii sunt obligati. Alterum est, quod omnes operantur omnia gratis, nullamque rem accipiunt neque sponte oblatam à confitentibus ad prædictum Sacrum Officium; singuli enim habent honesta stipendia ex redditibus Ecclesiasticis, quibus Sacra Pœnitentiaria à Summis Pontificibus est cumulata.

Hinc triginta ab hinc annis cum ego Romæ Immorarer, amicitiam inveni cum Reverendissimo Hieronymo de Bertis uno ex Officialibus prænominationis, viro summae integritatis, pietatis, ac virtutis; qui se mihi reverenti Paraviarum cum Eminentissimo, ac Reverendissimo S. M. Domino meo Cardinali Barbado Episcopo, semper paratum exhibuit, gratis remittere litteras facultatis absolvendi, vel dispensandi in foro conscientie super casibus in hac Diocesi occurrentibus, de quibus ad ipsam scriberem; prout non raro feci ad salutem animarum, erga quas jugiter paratum reperi, & eximio zelo, ac benignitate ornatum suscepi.

Quo ad Tertium: Olim amplissima era Sacræ Pœni-

Pœnitentiariæ auctoritas, ut testatur inter antiquos Gomezius, Vestrius, & Gavatius loco supra cit. inter modernos Eminentiss. Cardin. de Luca d. disc. 12. num. 4. Siquidem Major Pœnitentiarius commutat, & derogat ultimas voluntates; aniebat, supprimebat, ac transferebat Ecclesiastica beneficia, concedebat laicis jus patronatus; permettebat Religiosis habitare extra claustra, declarabat nullas eorumdem professiones; assensum præstabat super bonorum Ecclesiasticorum alienatione; cum irregularibus ex homicidio etiam voluntario non solum dispensabat, ut ad Ordines Sacros possent ascendere, sed etiam beneficia obtinere; licentias Religiosis de doctorandi dabat, ac beneficiatis facultatem retinendi fructus male perceptos faciebat; prout etiam super ætate promovendorum dispensabat; sed instante conclusione Tridentini Concilii, in quo Patres in eo congregati desiderabant, à Summo Pontifice universam Curiam Romanam reformati, Pius Quartus Pontifex Maximus, tunc regnans, omnium Tribunalium, ac Officiorum ejusdem Curie reformationem adortus, etiam Officium Sacræ Pœnitentiariæ Const. 53. regulavit, & serè omnes supradictas facultates vel restrinxit, vel revocavit. Idem fecit Urbanus VIII. Constitutio sua Regimini Universalis Ecclesiæ die 10. Januarii 1634. ut legitur in iisdem Constitutionibus, & differit Eminent. Card. de Luca d. disc. 12. num. 4. ac notat Nicolus Locubrat. Canon. lib. 5. tit. 39. num. 196.

Quo ad Quartum: Facultas Summi Pœnitentiarii, ac Officii Sacræ Pœnitentiariæ deprehenditur, ex novissima Constitutione Innocentii Papæ Duodecimi incipiens Romanus Pontifex, data Anno 1692. tertio Nonas Septembris; quam per extensum pont. Pignatellus tom. 9. cons. 69. & in qua ipse Summus Pontifex multa prohibuit, & multa confirmavit, ac concessit eidem Majori Pœnitentiario, prout sequitur.

Primo, Concedit, ut in casibus hic prohibitis possit Major Pœnitentiarius consulere oretenus ipsum Papam, & procedere juxta ejus vivæ voci Oraculum, de quo ipsi Majori Pœnitentiario asserenti indubia fides ab omnibus debeat adhiberi.

Secundo, Eidem concedit, ut possit absolvere omnes, & quoscumque Pœnitentes laicos, Ecclesiasticos, seculares, ac Regulares ab omnibus censuris, culpis, & excessibus tam publicis, quam occultis, quamvis reservatis necum Ordinariis locorum, ac Superioribus Regularibus; sed etiam Sedi Apostolicæ, etiam in Bulla Cœnæ Domini, injuncta semper salutari pœnitentiâ, & aliis, quæ de Jure fuerint injungenda. Cum hac tamen distinctione, quod possit absolvere Regulares à culpis, & censuris in utroque foro; laicos verò, & Ecclesiasticos seculares in foro conscientie tantum. At eosdem censuris affectos ab homine tunc possit absolvere in utroque foro quando expiraverit Jurisdictio Judicum, à quibus fuerunt censuris ligati, vel si earum absolutio sit Sedi Apostolicæ remissa, vel si legitimo impedimento detenti eosdem Judices pro absolutione nequeant adire; cum conditione tamen, ut parent judicato, & satisfacti parti, aliàs reincidant in eandem censuras.

Tertio, Quod possit absolvere advententes Romanam, ut Indulgentias consequantur; à quibuscumque censuris etiam latis ab homine (non tamen in Romana Curia) si timor sit, ut ad suos Judices euntes in itinere moriantur; ac cum obligatione ad eosdem suos Judices eundi; & cum reincidentia si intra congruum tempus iter ad eos non suscipiant.

Quarto, Prohibet in hac Constitutione Innocen-

tius XII. eidem Summo Pœnitentiario absolvere à casibus publicis Bullæ Cœnæ Domini Principes, vel personas Dominium, aut Rempublicam administrantes; neque Episcopos, aut alios Prælatos Superiores, Sede Apostolica vacante, vel Pontifice ita infirmante, ut eum consulere non possit.

Quinto, Præcipit, ne absolvat, neque in occultis, neque in foro conscientie, Cardinales, aut alios, quoscumque, nemine excepto, qui traxerint, aut pacta fecerint de Summo Pontifice eligendo, vel excludendo, seu incidendo in pœnas, ac censuras de hac re inflictas per Bullas Gregorii XV. ac Urbani VIII. Item neque illos, qui Astrologia judiciaria inquirunt de Statu Republicæ Christianæ, vel de vita, & morte Romani Pontificis, vel per se, vel per alios. Item ne absolvat in casibus publicis violantes Ecclesiasticam immunitatem, seu libertatem.

Sexto, Concedit, ut possit absolvere hæreticos occultos, vel mandare, ut absolvantur in foro conscientie tantum absque alia abjuracione; et si fecerint aliquos actus exteriores nocibiles hæresis dummodo ad eos nullus adverterit. Item Apostatas à Religione, & hæreticos in eodem foro conscientie dumtaxat, in iis solum casibus, in quibus necesse non est complices denunciare.

Septimo, Vetat absolvere recipientes munera à Regularibus ultra valorem Scurorum decem contra Bullam Clementis VIII. Anno 1594. editam, ante factam restitutionem. Exceptis rebus medicinalibus, vel devotionis. Infra verò dictam Summam, nisi facta elemosyna arbitrio Confessarii, quæ vergat in utilitatem Conventus.

Octavo, Prohibet absolvere violantes clausuram Monialium ad malum finem in casibus publicis; nisi ad preces Episcoporum, & dummodo casus non fuerint deducti ad S. Congregationem. Vetat concedere Confessarios Monialibus, nec non dare facultatem Capuccinis audiendi confessiones.

Nono, Permittit autem eidem Majori Pœnitentiario dispensare, & mandare, ut dispensent super quibuscumque Irregularitatibus ex quocumque delicto, etiam ex homicidio voluntario, in casibus tamen occultis, tam cum Ecclesiasticis, quam cum laicis, tam ut possint ordines suscipere, quam in susceptis ministrare; & ad superiores ordines ascendere; ac dignitates retinere, vel consequi, exceptis Ecclesiis Cathedralibus, vel Metropolitanis, quando agitur de homicidio voluntario, vel alio gravissimo excessu.

Decimo, Concedit, ut cum hæreticis, ac Apostatis à fide, quando hæresis non est propalata, possit dispensare ab omni irregularitate tam circa ordines susceptos, & suscipiendos, quam circa beneficia. Item cum male promotis, vel per saltum, vel sine dimissoriis, vel non servatis interstitiis, si timor sit scandalorum, & in casibus occultis, ut secretè recipient ordinem omnifum à quocumque Catholico Antistite.

Undecimo, Non vult, ut dispensetur cum promotis per Simoniam cum ipso Ordinate, nisi in casu occulto, & injuncta gravi pœnitentiâ. In Simonia reali in beneficio scienter contracta prohibet pro se dispensare. Si per ignorantiam inculpata sit contracta, dispenset; si casus sit occultus, & in foro conscientie tantum. In casibus publicis nunquam cum Simoniacis dispenset.

Duodecimo, Permittit, ut possit convalidare titulos beneficiorum in concursu obtentorum cum inhabilibus aliqua censura interitis, in foro tamen conscientie tantum, & in occultis. At non dispensat quo ad validitatem tituli, & condonationem fructuum

Annus cum Episcopis electis, qui intra tempus à jure statutum munus consecrationis non susceperint. Neque quo ad condonationem fructuum beneficiorum, aut distributionem malè perceptorum in casibus non occultis. In occultis concedit, ut dispensetur cum Gallis, Belgis, Germanis, Polonis, & ulterioribus, prævia compositione; & injuncta pœnitentibus erogatione elemosynæ ad arbitrium. Cum Italis componat, & compositio solvatur Receptorum emolumentorum Datarie, nisi paupertas pœnitentis excuset.

Decimo tertio, Annuit, ut cum Regularibus dispensetur super Irregularitate quorumcumque criminum, tum ad ordines suscipiendos, tum ad ministrandum in susceptis, ac etiam ad obtinendas quascumque Dignitates, & Officia in Religione, vel obtinendas retinendas (Generaliter excepto) at in casibus occultis, ac pro foro conscientie tantum. In publicis verò, non nisi auditis eorum Superioribus, ac iisdem supplicantiibus, & bonum testimonium de ipsis Regularibus ferentibus.

Decimo quarto, Concedit, ut dispensetur in utroque foro cum homicidiis, bannitis, aliisque delinquentibus, ut possint ingredi Religionem, satisfacto prius fisco, ac parte, ita tamen, ut nisi facta professione, neque ordines suscipere, neque in antea susceptis possint ministrare. Quò autem ad Apostatas, & transitus ad alias Religiones, Papa reservat sibi deliberare.

Decimo quinto, Quò ad Matrimonia concedit Pontifex eidem Majori Pœnitentiario, ut possit dispensare in foro conscientie tantum super impedimentis impedientibus dumtaxat. Secus autem in dirimentibus, quamvis occultis, neque pro foro conscientie, seu si scandala imminuant. In matrimoniis contractis non vult, ut dispensetur in primo, & secundo gradu consanguinitatis, vel affinitatis, etsi casus sint occulti; præterquam si impedimentum in secundo gradu duraverit occultum per decennium; & Oratores publice contraxerint, & credantur legitimi conjuges. In tertio, & quarto gradu in occultis possit dispensare, ac etiam in publicis, si nullitas processerit ex causa subreptionis, vel obreptionis Litterarum Apostolicarum; præterquam si falsitas consistat in narratione copulæ præcedentis, quæ tamen antea non intercesserat. Si Litteræ pro Matrimonio expeditæ fuerint in Dataria super primo, & secundo, aut super secundo gradu tacita culpa, eò quia sine honoris detrimento detegi non poterat, possit Sacra Pœnitentia revalidationem concedere, si adhuc copula sit secreta; sed pro foro conscientie tantum, soluta compositione Duc. 50. Auri de Camera Datarie, per eam eroganda postea pauperibus; nisi gratia fuisset antea expedita in forma pauperum; quia tunc Papa consentit, ut revalidatio concedatur, absque compositione. Si verò gratia fuit concessa super primo, & secundo; aut super secundo tantum gradu, expressa copula; sed tacita malitiosa intentione, ut facilius haberent dispensationem, permittit Papa, ut Major Pœnitentiarius cum personis miserabilibus dispenset, ac revalidet: At cum nobilibus, & illustribus personis non nisi facta compositione cum Dataria, & Datarie solvenda, ac per eam pauperibus eroganda. Si & hi paupertate laborent, ipse Pœnitentiarius, ac Dataria opportune provideant.

Decimo sexto, Indulget Pontifex, ut idem Pœnitentiarius Major dispenset in Affinitate ex copula illicita in casu occulto tam ante, quam post contractum Matrimonium in foro conscientie tantum. Item super impedimento occulto Criminis adulterii commissi neutro machinante. Si cum machinatione, non nisi ratione gravis periculi. Et hæc facultates locum habent, etiam si gradus, aut impedimenta sint multiplicia. Et potest declarare prolem legiti-

gitimam, tam susceptam, quam suscipiendam, in foro conscientie tantum, excepto si fuisset concepta in adulterio.

Decimo septimo, Quò ad Vota concedit idem Papa antedicto Majori Pœnitentiario, ut simpliciter omnia, etiam illa quinque Papæ reservata, commutare possit in alia pietatis opera, in foro conscientie tantum, & ut qui matrimonium contraxit voto castitatis adstrictus, debitum petere valeat. Item ut dispensetur cum non valentibus recitare Officium, nisi cum difficultate, aliis precibus recitandis ei assignatis. Item ut relaxet juramenta nulli præjudicialia in foro conscientie tantum. Ac etiam ut malè ablata, vel retenta dononet in parte Oratoribus, si pauperes sint; residuum pauperibus loci, vel piis operibus, pro arbitrio Pœnitentiarum, seu Confessarii elargiatur. Item dispensetur Puellis non virginibus, quæ dotes Virginibus dandæ per fraudem obtinuerunt, in casibus occultis, & in foro conscientie tantum.

Decimo octavo, Ordinatur Papa, quòd ipse Major Pœnitentiarius possit declarare dubia concernentia materiam peccatorum, seu forum Pœnitentiarii cum consilio Doctorum, & Theologorum suorum. Quòd ejusdem Majoris Pœnitentiarum commissiones non expierent, etiam si ipse designat esse talis, re integra, & illis nondum præsentatis. Quòd Sede Apostolica vacante expediat ea tantum, quæ ad forum conscientie pertinent, in reliquis omnibus officium S. Pœnitentiarum conquireat.

Decimo nono, Dat facultatem ipsi Majori Pœnitentiario, si aliquis ex suis Procuratoribus, vel Scripatoribus infirmetur, alios substituendi, ac etiam aliqua alia justa causa urgente; qui substituti solitum juramentum teneantur præstare.

Vigesimo, Mandat ut minores Pœnitentiarum trium Basilicarum Urbis non admittantur, nisi examinati, & approbati à Majori Pœnitentiario, & tota ejus Congregatione. Idem de Pœnitentiariis Lauretansibus; horum tamen examen committi potest Episcopo loci, vel alii benefico, quorum quoque facultatem Major Pœnitentiarius restringere potest, vel ampliare.

Vigesimo primo, Tandem idem Summus Pontifex concedit centum dies Indulgentiæ omnibus Christi fidelibus, qui juxta antiquum morem sese Pœnitentia Virga tangendos submiserint Majori Pœnitentiario, suo munere solemniter fungenti, Hebdomada Sancta, in tribus Basilicis Urbis. Et hæc Litteras jubet Sanctitas Sua ab omnibus in perpetuum servari, & à nullo impugnari posse; addendo amplissimas clausulas confirmatorias, ac respectivè derogatorias juxta Romanæ Curie stylum.

Igitur facultas, ac auctoritas Officii Sacre Pœnitentiariæ metienda esse ad normam hujus Innocentianæ Constitutionis Anno 1692. promulgatæ; non autem à dictis Moralistarum, vel aliorum Doctorum, qui ante eam scripserunt, illud unum non in sciendum, quod quidquid in ea dicitur posse facere Majorem Pœnitentiarum tam in abolendo, quam in dispensando, intelligendum est, vel per se, vel per suos Officiales, vel per alios suos Commissarios, quales sunt Sacerdotes Confessarii, quibus dirigitur, & præsentantur Litteræ Sacre Pœnitentiariæ, ut constat ex Lectura ejusdem Constitutionis.

Quo ad Quintum, in quo queritur, Quis possit aperire, & exequi Litteras Sacre Pœnitentiariæ? Respondetur quòd triplex potest esse directio earumdem Litterarum. Una discreto Viro Confessario ex approbatus per Ordinarium, à Latore presentium eligendo, & in hoc casu quilibet Confessarius sive Sæcularis, sive Regularis, qui sit ab Episcopo ad confessiones audientibus approbatus, potest eligi, & easdem Litteras aperire, ac executionem demandare. Secunda in directione, vel superscripta Litterarum

rum dicatur, Doctore Sacrorum Canonum; & tunc absque controversia qui non est doctoratus in jure Canonico, in aliqua publica Academia, non potest ipsas Litteras aperire, aut exequi. Tertia est, si inscribantur, & dirigantur Confessario, in Theologia Magistro; & tunc circa Confessarios sæculares manifestum est, quòd debent esse doctorati in Theologia in publico aliquo Gymnasio, vel Universitate, nam idem est, esse Magistrum, ac Doctorem. Sanchez libr. 8. de Matrim. disput. 34. num. 5. Lezana tom. 3. Verb. Gradus. num. 2. & tom. 4. Verb.

Litteræ Apostolicæ. num. 14. At circa Confessarios Regulares non transit sine difficultate. Ideò sciendum, quòd in Religionibus quatuor sunt genera Magistrorum. Primum est eorum, qui doctorati sunt in Academia publica, ut in hac Patavina; in qua plures sunt Doctores Theologi Collegiati ex Illustrissima Congregatione Cassinensi, ex Carmelitis, Servitis, Minoribus Sancti Francisci, & alii; qui quidem omnes si sint approbati per Ordinarium ad Confessiones, possunt aperire, & exequi Litteras prædictas. Secundum genus est eorum, qui susceperunt Lauream doctoratus in aliquo Collegio sui Ordinis habente facultatem à Sede Apostolica ad faciendum; prout eam habet Præclarissimum Carmelitatum Salmanticensis Collegium ex Indulto Urbani VIII. diei 26. Augusti 1634. de quo Lezana tom. 2. Verb. Gradus. num. 6. & hi pariter possunt Litteras Sacre Pœnitentiariæ recipere, aperire, ac exequi, cum sint veri in Theologia Doctores, ac Magistri. Tertium genus est Religiosorum, qui doctorantur à suo Generali ex speciali concessione Summi Pontificis; & hi pariter habiles sunt ad earumdem Litterarum executionem. Quartum genus est eorum, qui solum propter Litterarum exercitia ab eis præstita creantur Magistri ab eorum Superioribus localibus cum aliquibus Privilegiis, juxta varia Ordinum instituta; & hi non possunt aperire, neque exequi prædictas Litteras; quia non sunt veri Doctores, aut Magistri in Theologia; sed solum secundum quid in eorum Ordinibus; & eo minus alii, qui vocantur Licentiatii, seu Bachalauri, ut dicitur Sanchez de Matrim. d. libr. 8. disput. 34. num. 7. & Filliucius apud eundem. Lezana tom. 4. d. Verb. Litteræ Apostolicæ

num. 14. & 15. ubi advertit, Gregorium XIII. Anno 1582. concessisse Confessariis Societatis Jesu ab Episcopo approbatis, & à suis Superioribus ad id designatis, quamvis Lauream Doctoratus non suscipientibus, ut prædictas Litteras Sacre Pœnitentiariæ possint aperire, ac exequi; quod quidem Privilegium non posse extendi, aut communicari ad alias Religiones pluribus rationibus probat idem Lezana d. num. 15. à quo dissentit Pellizarius in Manuali Regul. tom. 2. tract. 8. cap. 3. num. 189. & num. 193. sed cum Lezana tenendum videtur.

Quo ad sextum & ultimum: Quærentibus, Quæ, & Quot sint observanda ab earumdem Litterarum Executoribus? Respondetur, tria esse præcipua servanda. Unum, ut Executor attendat diligenter ad omnia, quæ in ipsis Litteris à Majori Pœnitentiario præscribuntur, & juxta earum tenorem procedat; aliàs irritum erit, quidquid operabitur: facultas enim Delegati exerceri non potest, nisi juxta voluntatem Delegantis. Lezana tom. 3. Verb. Absolutio num. 6. & tom. 4. d. Verb. Litteræ Apostolicæ num. 20. notans, quòd si Litteræ dicant, ut absolvo, dispensatione detur in foro conscientie, probabile est, eam dari posse non audita Sacramentali Confessione; ut etiam opinatur Navarrus in Manuali cap. 27. num. 41. & libr. 5. Consil. de Privilegiis. consil. 11. num. 2. Secus autem si dicant, in foro Pœnitentiæ; & eo minus, si expressè habeant, in ipso actu Sacramentalis Confessionis. Thesaurus in Praxi part. 1. cap. 22. §. Secunda differentia. Alterum servandum ab Executoribus est, ut data abolutione, vel facta dispensatione

juxta tenorem Litterarum, eas laniare, lacerare, vel comburere debeat, aliàs pœnam excommunicationis sibi comminatam in ipsis Litteris ipso facto incurrit. Utendum autem, si restituant ipsas Litteras Pœnitenti, absolutio, seu dispensatio data valeat? Affirmant DD. quos citat, & sequitur idem Lezana d. tom. 4. Verb. Litteræ Apostolicæ num. 33. quia mens Majoris Pœnitentiarum esse videtur, ut ex non profint pro foro externo, seu litigioso; fecus pro foro interno. Tertium tandem, quòd ab Executore servari oportet, est, ut gratis omnino excedat ipsas Litteras; neque aliquid accipiat sub quocumque prætextu, neque spontè oblatum à pœnitente; & hoc ad impediendam Simonie labem, quæ facillè irrepere, si licitum foret munera accipere, prout declaravit Sac. Congregatio apud Garziam de Benefic. part. 8. cap. 1. num. 102. & apud Barbosam in Summa Apostol. Decif. Collect. 257. num. 5. & Lezanam d. tom. 4. Verb. Litteræ Apostolicæ num. 34.

Corollarii loco notanda est doctrina Theauri (qui fuit Pœnitentiarius Apostolicus in Basilica Sancti Petri Romæ) in suo Tract. de Pœnit. Eccles. part. 2. Verb. Absolutio cap. 2. Vers. Limita 2. advertentis, quòd Major Pœnitentiarius tamquam Vicarius Papæ habens jurisdictionem ordinariam in toto Orbe Christiano potest approbare Confessarios in quacumque Diocesi; undè fit, quòd aliquando committit Sacerdotibus non approbatis ab Ordinario, ut audiant confessiones latorum Litterarum S. Pœnitentiariæ, & eos absolvant juxta eorum indigentiam; quod quidem est notari dignum.

Ultimò addendum, quòd ad exemplar Majoris Pœnitentiarum Almæ Urbis instituti sunt Canonici Pœnitentiarum in omnibus Ecclesiis Cathedralibus ex Decreto S. Concilii Tridentini sess. 24. de Ref. cap. 8. de cujus obligatione, & potestate agunt Barbosa de Canon. & Dignit. cap. 26. Garzias de Benefic. part. 5. cap. 4. num. 125; & Nicolius d. libr. 5. Lucasbrat. Canon. tit. 38. d. num. 12. & sequ. ubi tria notat; Unum, quòd Canonici Pœnitentiarum non possunt equi Episcopum in Visitatione Diocesis, quia debet singulis Dominicis, ac aliis festis diebus audire Confessiones in Cathedrali. Alterum, quòd habet vacationes à Choro prout alii Canonici; non autem à prædicta obligatione audiendi Confessiones singulis diebus festis. Tertium, quòd non potest absolvere à Casibus reservatis per Episcopum; nisi specialiter id ab ipso Episcopo sibi concedatur. Et super his omnibus plures emanarunt Declarationes Sacre Congregationis, ibidem à Nicolio relatæ.

## DECISIO XLIX.

## ARGUMENTUM.

Declaratur, Quid sit Sigillum Confessionis. A quopublici jure proveniat? Quæ personæ teneantur illud servare? Et de quibus rebus? Quot modis Sigillum Sacramentale frangatur? Quando liceat Confessario uti scientia Confessionis? Pœnæ contra hujus Sigilli violatores. Historia crudelitatis Wenceslai Imperatoris; ac exempla Confessariarum ultimo supplicio punitorum ob violatum Sigillum.

## SUMMARIUM.

1. Quid sit Sigillum Confessionis? Et à quo jure proveniat?
2. Sigillum nulla de causa frangi potest. Henricus Garnetus Soc. Jesu injustè damnatus in Anglia ob Sigillum. ibidem.
3. B. Joannes Canonicus Pragensis Martyr ob Sigillum Confessionis.
4. Wenceslai Imperatoris crudelitas contra ejus Coequum.

- 5. Sigilli fractio non admittit levitatem materiæ.
- 6. Personæ proximæ tenentur servare Sigillum confessionis. Et que?
- 7. Chartam cum peccatis pœnitentis si quis legat, an teneatur ad Sigillum?
- 8. Sigilli obligatio quas res, vel personas comprehendatur.
- 9. Pœnitens an teneatur ad Sigillum ditorum sibi à Confessorio?
- 10. Sigillum quot modis frangatur?
- 11. Notitia confessionis quando Confessorius possit uti?
- 12. Licentia loquendi de auditis in confessione quomodo à Pœnitente sit danda?
- 13. Prælati ex notitia confessionis punire non possunt subditos. Decretum Clementis VIII. de hac re afficit omnes Confessarios.
- 14. Confessorius sciens in confessione sibi mortem parari, quid agat? vel periculum imminere proximi, aut toti Regno?
- 15. Famulus fur si confiteatur Sacerdoti Hero suo, hic quid faciat?
- 16. Excommunicato, vel peccatori indispofito cognito in confessione, an danda Eucharistia?
- 17. Processus quomodo formandus super fractura Sigilli Sacramentalis?
- 18. Pœna contra Confessarios revelantes Confessiones.
- 19. Exempla Confessariorum punitorum ultimo supplicio ob revelatas Confessiones.
- 20. Confessarios quando sine licentia Pœnitentis possit cum eo loqui de Confessione?

**P**ostrema, sed suprema, ac omnium maxima obligatio, quam habent Sacerdotes audientes Sacramentalis Confessiones, est servandi Sigillum. Sigilli nomen significat instrumentum, quo Litteræ, vel aliæ res obligantur, ut eo durante nec legi, nec videri possint; hinc per metaphoram translatum est ad significandam prædictam strictissimam obligationem Confessariorum nunquam revelandi, aut manifestandi audita in confessione; sed ea retinendi sub Sigillo, id est sub secreto, ac silentio inviolabili. Quapropter videndum est,

- Primo: Quid sit Sigillum Confessionis, & quo Jure sit introductum?
  - Secundo: Qui teneantur ad illud servandum?
  - Tertio: Quæ cadant sub obligatione Sigilli?
  - Quarto: Quot modis contingat frangere Sigillum?
  - Quinto: An dentur casus, in quibus liceat Confessario uti scientia Confessionis in rebus suis, vel aliorum?
  - Sexto: Qua pœna sit puniendus Confessorius frangens Confessionis Sigillum?
- Quo ad Primum: Sigillum Confessionis est strictissima obligatio Confessarii servandi secretum de omnibus auditis in confessione; & ea non revelandi cuicumque persone, non obstante quocumque gravissima causa, vel mali impediendi, vel boni patranda; à Jure Naturali, Divino, & Ecclesiastico indispensabiliter introducitur, propter plura majora bona, que omne aliud superant bonum. Ita Theologi tam Scholastici, quam Morales, ac etiam Canonici de Sigillo Confessionis tractantes, inter quos Suarez de Pœnitentia disp. 23. s. 1. Eminentissimi Card. Toletus lib. 3. cap. 16. de Lugo disp. 23. s. 1. & de Lauræa disp. 21. art. 5. s. segg. Matheus in 4. sent. disp. 5. quæst. 20. & in eisdem Theologia Morali disp. 21. quæst. 10. Tamburinus de Exped. Confess. lib. 5. cap. 1. Gobatus in Exprim. Theolog. Confess. lib. 5. cap. 1. Gobatus in Commentar. lib. 5. Decretal. tom. 1. ad cap. Si Sacerdos. 2. De Offic. Ordin. qui omnes, prædictam Sigilli strictissimam obligationem procedere probant primò ex Jure Naturali, quo tenemur, secreta nobis commissa fideliter servare. cap. Qui am-

bulat. 55. disp. & non facere aliis, quæ nobis fieri volumus. cap. 1. disp. 1. cap. Cùm omnes. De Confessio. Ideoque cùm nemo velit amittere propriam famam, sui que rectam opinionem, quo æquivaleret ac vita æstimatur. l. Julia, ff. de Manuiss. Vindict. imò & sæpius vitæ præterit. l. Si adulterium. ff. Ad le. Jul. sequitur, quòd Confessorius Jure naturali prohibetur peccata in confessione audita detegere, ne famam pœnitentium denigret. Ad hoc jus respexit Ovid. lib. 2. de Art. anand. dum cecinit:

*Eximia est Virtus præfari silentia rebus:  
At contra gravis culpa tacenda loqui.*

Secundò demonstrant, eam provenire à Jure Divino positivo, quia hoc ipso, quòd Christus instituit, & præcepit confessionem peccatorum fieri, censetur etiam illam instituisse, ac præcepisse eo modo, quo possit ab hominibus prædicari, ad quem modum maxime spectat prædictum Sigillum omninò inviolabile; nam si homines scirent, posse revelari à Confessariis peccata eis manifestata, detererentur à confessione facienda, & eis redderetur odiosa; remaneretque cum continua inquietudine mentis; ac timore; & non reportaretur ex confessione illam pacem, atque serenitatem conscientie; que ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 3. est præcipuus Pœnitentiæ fructus. Hinc sequitur, hoc Sigillum non posse neque à Papa ex plenitudine potestatis per dispensationem auferri. cap. Dilatus. De Excessibus Prælator. Emin. Card. de Lauræa d. disp. 21. num. 183. Tertio, Sigillum provenientiam ex Jure Ecclesiastico per textus expressos in cap. Sacerdos. De Pœnit. disp. 6. ubi S. Gregorius ait: Sacerdos ante omnia caveat, ne de his, que ei confitentur, peccata, alicui recitet: nam si hoc fecerit, deponatur, &c. Et ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. in cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & Remiss. in illis verbis: Caveat autem omninò (Sacerdos) ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodatur peccatorum, &c. subdicens postea pœnam, si quovis modo præsumperit peccata in confessione audita revelare.

Ab hac autem Sigilli obligatione nulla quamvis gravissima causa excusat sive impediendi mali, sive operandi boni; est ageretur de salute totius Regni. Gigas de Crim. lese. Criminal. tit. Qui accusare Quest. 18. Decianus tract. criminal. tom. 2. lib. 7. cap. 34. Hinc injustè fuit condemnatus in Anglia P. Henricus Garnetus Soc. Jesu tamquam complex conjurationis pulverariæ, de qua Illustrissimus Baptagnus in Annal. Sacra. & Imperii Anno 1605. num. 22. nam ob Sigillum Confessionis Sacramentalis eam revelare non poterat. Ideò Sigillum est servandum, etiam si esset casus de impediendo Matrimonio ob impedimentum dirimens, cognitum in confessione. Pontius de Matrim. lib. 5. cap. 33. sive ad salvandum secretum matris emortuæ, que lex in confessione ex illicito coitu gravidam accusasset. Possesvius De Offic. Curati cap. 6. de Baptismo quæst. 8. Gonzalez ad d. cap. Si Sacerdos. num. 5. De Offic. Ordin. Sive ad effugienda tormenta per Tyrannum inferenda; ut accidit Beato Joanni Canonico Pisgeni Prædicatori eximio, atque Confessorio Imperatricis Joannæ, filiæ Serenissimi Alberti Ducis Bavarie, nuptæ Wenceslao Cæsari Filio Caroli Quarti Imperatoris, qui quidem Wenceslaus crudelissimus, ac nefandissimus Princeps, inter cætera enormia ejus flagitia, præsumpsit obligare eundem B. Joannem ad sibi detegenda peccata Imperatricis, Sanctissimæ Principissæ; quod sacrilegium sive Canonici detestans, & nunquam se committurum protestans, diristortentis, ac morte affectus fuit à prædicto Tyranno, ut narrat in ejus vita Ephemeries Sacrae diei 16. Maii Hieron. à Basilica Petri; qui de crudelitate ejusdem Wenceslai subdit; ibid. num. 8. Non possidè molto, che essendo a pranso gli fu portato avanti un cappone non ben cotto; infuridò Wenceslao contro il cuoco, a tal segno,

*segno, che lo fece spogliare, e legare ad uno spiedo, ed arrostire al fuoco. Obit Martyr ob observantiam Legis Divinæ, naturalis, ac Ecclesiasticæ Beatus ille Canonici, & Confessorius die antevigilio Assensionis Domini Anno 1382. & de veritate prædicti Imperatoris differit etiam P. Antonius Foresti in Mappamundi. tom. 2. libr. 23. cap. 33. de Vitii Imperator. nec non de Regibus Bohemis tom. 4. part. 2. libr. 8. Anno 1378. ubi hæc verba: Ingelesio della Reina sua Consorte onestissima, chiamò il Sacerdote, che udìr solea le di Lei Confessioni, per ricavarne quanto il suo follo sospetto gli suggeriva. E perchè il Sacerdote ricusò di violare il Sacrosanto Sigillo, Wenceslao fece affogarlo nel Fiume. Igitur neque pro tuncione prope violari potest Sigillum Sacramentale. Ratio est, quia bona in eo contenta superant quodcumque aliud bonum; siquidem, ut ait Eminent. Card. de Lauræa d. disp. 21. n. 190. In observantia secreti confessionis habetur reverentia debita Sacramento, quod est bonum Religiosum; bonum fidelitatis de non aperiendo arcano: bonum obedientie ad legem Divinam, & Humanam: bonum salutis fidelium petentium Sacramentum: & tandem bonum securitatis totius Ecclesiæ de accedendo ad Sacramentum Pœnitentiæ absque metu infamie, vel alterius damni, sive in bonis vitæ, sive in bonis fortune. Quibus bonis non potest comparari quodcumque aliud bonum, quod possit ex revelatione confessionis obtineri. Ita Eminentiss. Cardin. de Lauræa, qui subinde d. disp. 21. art. 7. addit, hoc præceptum de non frangendo Sigillum Confessionis, cùm sit negativum, obligare semper, & ad semper; itaque neque Papa possit obligare ad ejus fractionem; & ejus inviolata observantia debet custodiri etiam post mortem pœnitentis; quod adverte etiam Gonzalez ad d. cap. Si Sacerdos. num. 5. de Offic. Ordinari. & hæc quidem obligatio aëdò urget, ut circa ejus transgressionem non detur levitas materæ excusans à peccato mortali; unde mortaliter peccat Confessorius revelans unum tantum peccatum veniale, ut pluribus DD. allegatis probant Salmanticenses de Sacrament. Pœnitent. tract. 6. cap. 14. num. 9. ubi tamen ex capite merè inadvertentiæ, aut imperfectæ deliberationis venialiter solummodo Confessorio delinqueret concedunt ex Leandro disp. 10. quæst. 5. ac Emin. Card. de Lugo disp. 23. num. 69.*

Quo ad secundum: Ex communi Theologorum calculo tenetur ad observandum Sigillum Sacramentale omnes personæ sequentes. 1. Confessorius ipse, qui audit confessionem, nedum quando absolvit pœnitentem; sed etiam quando nolit, vel non potuit cum absolvere. 2. Ille, qui Confessorius ipse inique, ac sacrilegè revelavit peccatum pœnitentis auditum in confessione. 3. Ille qui vel casu, vel malitiosè audit confessionem, quam pœnitens faciebat Confessorio, & intellexit unum, vel plura ejusdem pœnitentis peccata. 4. Interpres pœnitentis nescientis linguam regionis, qui interpretatur est ejusdem pœnitentis loquentem coram Confessorio. 5. Consiliarius, cui à Confessorio sive inadvertenter, sive illicitè revelatum est peccatum confesum, quòd ducit in cognitionem pœnitentis. 6. Superior, qui venit in notitiam pœnitentis, dum vel ab eo, vel à Confessorio manifestatur peccatum reservatum ad habendam facultatem absolvendi. 7. Qui finxit se Confessorium, & sub hac fitione audit confessionem, sive ite sit Laicus, sive Clericus, sive Sacerdos non approbatus. 8. Laicus ille, qui in casu necessitatis facta est confessio à pœnitente cum opinione, quòd in tali casu urgeret obligatio ita confitendi; ut differimus supra Decif. XVIII. 9. Adstantes omnes, sine quorum notitia non potest fieri confessio, ut in periculo naufragii, vel pestis contingit. Quòd si quis pœnitens coram pluribus etiam Laicis confiteatur

peccata sua ob majorem sui confusionem, absque ulla necessitate; in hoc casu prædicti audientes tenentur ad Sigillum naturale ex justitia, seu fidelitate; non autem ad Sigillum Sacramentale; quia prædicta accusatio non est Sacramentalis confessio, ut diximus d. Decif. XVIII. Et 10. qui legit chartam, in qua scripta sunt peccata pœnitentis, eo tempore, quo vel ipse pœnitens vel eam legit Confessorio, vel illi eam porrigit; aut dum porrectam Confessorius legit. Nam si extra prædictos casus reperitam chartam cum peccatis alterius aliquis legat, tenetur quidem ad secretum naturale, non autem ad Sigillum Sacramentale, ut sustinet Eminentiss. Card. de Lauræa d. disp. 21. num. 231. quia charta scripta continens peccata non est confessio: Ergo non obligat ad Sigillum Sacramentale. Multò minus si lacerata sit, & ab aliquo colligantur frustra, & peccata legantur; tunc enim ad solum secretum naturale censetur obligati; etsi plurimi DD. velint, etiam ad Sigillum Sacramentale adstringi, præter culpam gravem in legendo, etiam si scripta essent venialia peccata tantum, ut diximus supra Decif. 21. num. 20. & tenent Eminentiss. Cardin. de Lugo disp. 23. s. 2. Diana part. 3. tract. 4. resol. 112. reposita in Coordinato Opere tom. 1. tract. 8. resol. 42. & Gobatus d. tract. 7. num. 836. & segg. Ea ratio, quia prædicta charta nimis propinque se habet ad Confessionem Sacramentalem; estque quasi jam inchoatio, vel complementum ipsius. Supradicti omnes casus decem, atque personæ, quas adstringit Sigillum Sacramentale, referuntur, atque rationibus, & DD. auctoritatibus confirmantur à Salmanticensibus d. tract. 6. cap. 14. punct. 4. à num. 57. & segg. à Suarezio de Pœnitent. disp. 33. s. 4. à Nicolio d. libr. 5. tit. 38. à num. 21. & segg. ab Eminentiss. Cardin. Lugone d. disp. 23. s. 2. à Gobato d. tract. 7. à num. 849. & cæteris amplius ab Eminentiss. Card. de Lauræa d. disp. 21. art. 6. per totum: ad quos DD. si difficultas emergat, studiosus Lector recurat, nec non ad nostra Erotemata cap. 125.

Quo ad Tertium, in quo queritur, *Que cadant sub obligatione Sigilli?* In primis est advertendum, ea cadere sub Sigillo, quæ si dicantur, vel manifestentur, designant & indicant personam confessam, vel complicem: nam è contra si dicatur aliquid auditum in confessione absque designatione personæ confessæ, & absque periculo illam manifestandi, non est frangere Sigillum; ut bene distinguit Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 21. art. 6. num. 202. & art. 8. num. 244. quamvis notabiliter addat, cautè esse loquendum per Confessarios de auditis in confessione etiam in abstracto, & genericè; nam sæpe sæpius audientes ex combinatione eorum que solent diversis vicibus dici, veniunt in cognitionem personæ confessæ. Hoc præmissa ad Quæsitum responderetur, hæc omnia sequentia venire sub Sigilli obligatione, si sint audita, seu didicita in confessione. 1. Peccata mortalia. 2. Venialia. 3. Eorundem circumstantias. 4. Complices in istem peccatis. 5. Peccata etiam publica, audita tamen à Confessorio in confessione; nisi de istem haberet scientiam ab aliis personis extra confessionem; aperiendo modum, quo illa cognovit. 6. Peccatum futurum, seu propositum, quod quis confessus est alicujus mali patranda. 7. Peccata mortalia etiam in genere, nempè Petrus confessus est mihi plura mortalia; secus autem est de Venialibus in genere; quia sicut illicitum non est dicere, audivi confessionem Petri, ita non est fractio Sigilli dicere in genere audivi venialia Petri. 8. Etiam didicita à pœnitente tamquam peccata, etsi verè non sint peccata. 9. Omnes defectus morales, sive civiles, sive naturales, qui reddunt pœnitentem odibilem; puta quòd sit illegitimus, irregularis, ignarus, filius Petri infamis, & similes, quando sunt didiciti in confessione. 10.

ne. 10. Qualitates indifferentes pœnitentis, si à pœnitente manifestentur Confessario cum conditione, ut eas sub Sigillo retineat; exempli gratia, quod sit Clericus, vel conjugatus, vel Doctor, vel nobilis Patricius, ac alia hujusmodi; nam dicta cum hac conditione cadunt sub Sigillo; non etiam si abique tali conditione eas infinuet. 11. Omnia particularia pœnitentis, quæ in manifestatione possunt ei displicere, & quæ non essent ab ipso insinuata, nisi ratione confessionis. 12. Virtutes pœnitentis, gratiæ, dona naturalia, ac supernaturalia, si sub eadem conditione retinendi, sub Sigillo dicta sint per pœnitentem Confessario; secus si talis conditio non sit apposta: idèque legitimum in Vitis Sanctorum, ac Sanctarum, eorum, ac eorum Confessarios testatos esse virtutes, visiones, pugnas, & alias gratias auditas in confessione; ut latius demonstrat Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 21. art. 8. ubi id comprobatur auctoritate S. Thomæ in 4. disp. 21. q. 3. art. 3. Scoti ibid. qu. 2. Bonaciniæ de Sacrament. Pœnitent. disp. 5. q. 6. scilicet 5. pun. 2. Quibus addendū sunt Salmanticenses d. tra. 6. cap. 14. à num. 179. Mastrius in Theol. Morali d. disp. 21. num. 252. & 253. Gobatus d. tra. 7. à num. 788. & Nicolaus d. libr. 5. tit. 38. à num. 35. usque ad 82. qui omnes rationem reddunt supradictorum objectorum Sigilli, seu materiarum cadentium sub Sigillo; illud unum advertentes, quod è contra ipse pœnitens non tenetur sub Sigillo Sacramentali tacere ea, quæ sibi dicta sunt à Confessario in confessione; sed tantum ad Secretum naturale; quando ex eorum revelatione aliquid damnum Confessario immineret; vel sub conditione fecerit locutus fuisset, excepto casu damnatæ sollicitationis, in quo imò obligatus est Pœnitens omnia Officio Sanctæ Inquisitionis revelare. Mastrius d. disp. 21. num. 255. & Gobatus d. tra. 7. num. 862.

Quo ad Quartum, requirunt Quos modis contingat Frangi Sigillum? Respondetur, quod frangitur Sigillum omnibus modis sequentibus. I. Formaliter, si Confessarius revelet alicui peccatum pœnitentis, ejus personam manifestando; & hæc formalis fractio Sigilli est crimen enormissimum, continens tria gravissima peccata, scilicet detractionis, infidelitatis, ac sacrilegii, ut notat Mastrius in Theol. Morali d. disp. 21. num. 247. II. Materialiter Sigillum frangitur, quando Confessarius imprudenter loquens, vel agens, causa est, ut eum audientes veniant in notitiam peccati ab aliquo pœnitente confessi. Tamburin. d. libr. 5. cap. 2. n. 2. Idè III. frangitur Sigillum, si Confessarius voce nimis alta, aut strepitosa reprehendat pœnitentem adstantibus aliis personis. Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 21. num. 378. IV. si confessio fecerit imponat publicam pœnitentiam. Eminentiss. Cardin. Toletus libr. 3. cap. 16. num. 5. Fagnanus in cap. Manifesta. num. 18. de Pœnitent. & Remission. & diximus supra Decif. XVI. num. 24. V. si dicat in tali civitate, in qua ipse Confessarius noscitur audire confessiones, committuntur gravia, ac frequentia carnis peccata, vel alterius generis; ac multo magis, si id Parochus asserat de sua Parochia, vel de aliquo Monasterio, qui ejusdem sit Patris spiritualis. Idem Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 21. num. 261. VI. Si Confessarius dicat, se imposuisse talem, vel talem gravem pœnitentiam Petro sibi confessio; denotat enim gravia peccata confessum fuisse. Eminentiss. Cardin. de Lugo disp. 23. num. 89. & Diana part. 5. tra. 11. resol. 31. nec non part. 11. tra. 5. resol. 14. Quæ in Coordinato sunt tom. 1. tra. 3. resol. 62. & 63. VII. Si narret, pœnitentem scrupulis, impertinentiis, nœnis sibi caput obtundere. Layman. libr. 5. tra. 6. cap. 14. num. 6. VIII. Si Confessarius vel interrogatus ab aliquo, An Pœnitentem sibi confessum

absolverit: vel ultroque dicat, Non absoluisse, denotat enim vel non absoluisse, quia nondispositum eum reperit; vel quia casum reservatum habebat. Tamburin. de Exped. Confess. d. libr. 5. cap. 3. num. 14. IX. Si neget atentionem scriptam de confessione facta, non pœnitentem petenti; etiam si ipsum ex legitima causa non potuisset absolovere. Idem Tamburin. ibid. num. 16. X. Si narret Confessarius, occupatum fuisse à Pœnitente in Sede confessionali ad ejus confessionem audiendam duos, vel tres dies; decem, vel undecim horas; quando in loco secreto eum audit; secus si in loco publico, ut est Ecclesia, Sacristia, Conclave pervium Monasterii; ubi ab omnibus pœnitens coram Confessario genuflexus videbatur. Gobatus d. tra. 1. à num. 924. & seqq. XI. Si Magister decem Novitiorum unum eorum laudet, & commendat, quod in sæculo nunquam carnalia commiserit, atque innocentiam servaverit; censetur enim de aliis asserere, carnalia commisisse, & innocentiam non servasse. Gobatus d. tra. 7. num. 884. 891. & 939. ubi plures alios examinat modos loquendi, quos studiosus Lector videat; hanc tamen regulam custodiat, sobrius scilicet esse debere in loquendo de pœnitentibus, vel de auditis in confessione quemcumque Confessarius; qui si à curiosis, vel à malitiosis de iisdem interrogatur, respondere debet rotundo, & abique rubore; nec vobis licet de his interrogare, nec mihi aliquid respondere; ut tuse probat Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 21. art. ult. à num. 369. usque in fin. & pluribus DD. allegatis Diana Coordinatus d. tom. 1. tra. 8. resol. 66. desumpta ex part. 5. tra. 11. resol. 43. XII. Tandem Sigillum frangitur si Confessarius extra confessionem loquatur cum pœnitente de peccatis ab eo auditis in confessione, non obtenta ab eo licentia ita loquendi. Quamvis non desint DD. opinantes Sigillum non frangere, quia secretum non violat. Sanchez de Matrim. libr. 3. disp. 16. & Tamburin. d. libr. 5. cap. 5. num. 1. At Eminentiss. Cardin. de Lauræa tenet, Sigillum violari à Confessario supradicto d. disp. 21. n. 276. & 277. nisi loqueretur ad supplendum defectum præteritæ Confessionis.

Quo ad Quintum, in quo sciri desideratur: An dentur casus, in quibus liceat Confessario uti scientia Confessionis in rebus suis, vel aliorum. Pro resolutione tres Regule sunt notandæ, à quibus mensurandi sunt plures, sed diversi casus, circa quos Confessarius an possit, vel non, uti scientia in Confessione habita, dubitatur. Prima Regula, si Confessarius ex notitia habita in confessione vult procedere ad exteriores actus, qui sint molesti, afflictivi, ingrati, seu præjudiciales vitæ, famæ, vel bonis ipsius pœnitentis, non potest ad eos devenire, neque uti notitia Confessionis; & Ratio est, quia redderet eam odiosam, amaram, ac difficilem. Secunda Regula est, si Confessarius, è contra, utitur notitia prædicta pro adibus proficuis, gratis, & utilibus eidem Pœnitenti; nihil offendit Sigillum, & licite agit; nam non reddit confessionem odiosam, neque abhorrendam, etsi pœnitens comprehendat, id procedere ex dictis in confessione. Ita DD. quos citat, & sequitur Tamburin. de Exped. Confess. d. libr. 5. cap. 6. §. 2. Salmanticenses d. tra. 6. cap. 14. num. 46. & num. 54. nec non Gobatus d. tra. 7. à num. 881. & seqq. quomnes multis exemplis utraque prædicta Regula illustrant. Tertia Regula est, posse Confessarium uti scientia confessionis de licentia ipsius Pœnitentis; quæ tamen debet esse formalis, expressa, libera, spontanea; non vi, dolo, aut per peccata importunas extorta, sive per metum reverentiale; ut pluribus citatis DD. differt Diana Coordinatus tom. 1. tra. 8. resol. 30. deducta ex part. 5. tra. 11. resol. 10.

sol. 10. Sed ad hanc Regulam duo sunt observanda; Unum esse tutius, quod Confessarius recipiat hanc licentiam à pœnitente in scriptis; etsi id non esse necessarium asserant Suarez, Fagundez, & alii apud eundem Dianam Coordinatum ubi proximè resol. 31. quæ in veteri est d. part. 5. tra. 11. resol. 41. Alterum est, quod ad hanc licentiam impertiendam pœnitens debet repetere, & denuò dicere Confessario extra confessionem ea, quæ dixerat in confessione, ut pluribus probat Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 11. à num. 265. & seqq. ex illa ratione præcipua, quod Privilegium Sigilli confessionis non est concessum à pœnitente, sed est ex Divina institutione. At DD. multi contrarium tenent, dicentes Privilegium prædictum introductum esse favore pœnitentis, qui propterea favor suo renuntiare potest, ut latius Diana Coordinatus d. tom. 1. tra. 8. resol. 30. existente in antiquo part. 5. tra. 11. resol. 10. ubi ait primam opinionem esse Scottistarum; secundam S. Thomæ, ac discipulorum; idèque satis esse, ut pœnitens spontè dicat Confessario, licentiam tibi concedo loquendi, vel agendi, si opus tibi fuerit, de auditis à me in confessione.

Ex his Regulis sequitur facilis resolutio casuum sequentium. I. Confessarius si sit Superior, vel Prælat, ex notitia habita in confessione à pœnitente circa ejus personam, mores, seu qualitates, non potest contra eum procedere ad actus justitiæ punitivæ, vel commutativæ, nempe eum castigare, jus ipsi acquisitum tollere, vel ei negare suffragium, aut beneficium, quod ei non negasset, si ejus indignitatem in confessione per eum sibi factam non agnovisset, ut latè demonstrat Sanchez de Matrim. libr. 3. disp. 13. & Tamburin. d. libr. 5. cap. 6. §. 2. ubi num. 8. refert Decretum Clementis VIII. diei 26. Maji 1594. præcipientis Regularibus, ut Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, cavent diligentiſſimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur. Idcirco bene addit Gobatus d. tra. 7. num. 882. Decretum Clementis VIII. de Superioribus Regularibus esse omnino intelligendum de omnibus aliis aliorum hominum Confessariis; itaut nulli Confessario liceat, quoad externas actiones exercendas, aut committendas, uti prædicta notitia; cum aliqua seu injusta, seu secundum se justa molestia, incommo-dam, rubore, iracundia, indignatione pœnitentis; & idem advertit Eminentiss. Cardin. de Lugo de Pœnitent. disp. 23. scilicet 5. §. 1. per totam, prout etiam Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 21. art. 10. à num. 291. & seqq. II. Si Confessarius ex notitia confessionis comprehendat, sibi mortem parari, vel ex latronibus in via, vel ex veneno posito in hostia, aut vino adhibendo in celebratione Missæ, potest ex aliquo pretextu indifferenti, non manifestativo pœnitentis, evitare periculum mortis, fugendo, non celebrando, aut alia præcautione utendo; at si neciat reperire alium pretextum indifferenter, itaut si velit salvare sibi vitam, cogat pœnitentem prodere, ac manifestare; hoc factum non potest, & revelare fortè subire mortem; quia majus bonum est servare intactum Sigillum confessionis, quam propriam vitam; ut pluribus rationibus firmat Eminentiss. de Lugo d. disp. 23. scilicet 5. & de Lauræa d. disp. 21. art. 11. III. Si per signa, vel media indifferentia, non manifestativa pœnitentis possit Confessarius impeditere malum imminens alicui proximo, de quo malo notitiam habuit in Confessione, potest impedire; sed si non reperiat signa, vel media indifferentia; & periculum sit manifestandi pœnitentem, quamvis ageretur de impedienda ruina totius Regni. Ita antedicti Eminentiss. de Lauræa, ac de Lugo ubi supra. Diana part. 5. tra. 7. resol. 25. atque Gobatus d. tra. 7. num. 895. IV. Sacerdos, qui ex Confessione novit, suum famulum fore esse, non potest ex sola scientia confessionis ipsum dimittere; ut ex Reginaldo, & aliis notant Salmanticenses d. tra. 6. cap. 14. num. 51. Diana part. 5. tra. 11. resol. 37. ingressa in Coordinati Operis tom. 1. tra. 8. resol. 21. nec non Gobatus d. tra. 7. num. 899. non detrectans, ut possit diligentius custodire res suas. V. Si ego audiam te in confessione esse excommunicatum alibi, non possum à tuo consortio me subtrahere. Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 21. num. 332. Gobatus d. tra. 7. num. 904. VI. Si ex tua confessione mihi facta cognoscam, te non esse Confessarium approbatum, possum abstinere confiteri tibi juxta solitum peccata mea, si nullam notam tibi inuram; quod si ex mea desistentia proveniret tibi damnum, pudor, aut periculum manifestandi tum crimen, postium simulare tecum meam confessionem, vel sola genitalia tibi dicere. Gobatus d. num. 904. & Salmanticenses d. tra. 6. cap. 14. num. 55. nec non Eminentiss. Cardin. de Lugo d. disp. 23. num. 105. VII. Pœnitenti publico confessio, relinquente publicè signum perseverantiæ in eo publico peccato, non potest, neque debet Confessor, qui eum audit, ministrare alia Sacramenta neque in occulto, neque in publico. Ita Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 21. num. 349. ea ratione, quia notoria est ejus perseverantia in publico peccato omnibus aliis personis; & non potest referri negatio Sacramentorum ad didicita in confessione. Idè si publicè relinquit signum perseverantiæ in eo publico peccato, & publicè perat Communionem, Confessarius tenetur eam illi præbere, licet sciat verè non reliquisse peccatum, ne utatur notitia confessionis in probum illius asserit pœnitentis. Hoc autem multo magis est faciendum in confessione, relictoque publicè signum perseverantiæ in eo publico peccato, & publicè perat Communionem, Confessarius tenetur eam illi præbere, licet sciat verè non reliquisse peccatum, ne utatur notitia confessionis in probum illius asserit pœnitentis. Hoc autem multo magis est faciendum cum peccatore occulto petenti in publico Sacramenta, licet ab ejus indispotionem non fuerit absolutus, si Confessor nequeat uti æquiva negatione. Idcirco si ea potest uti, non debet illi Communionem dare; ita tamen ut caveat ab exprobratione prædictæ indispotionis. Ita pluribus argumentis firmat idem Eminentiss. Cardin. de Lauræa ibidem art. 13. per tot. & in art. ult. seqq. ubi plures alios casus consimiles examinat, ac etiam Gobatus d. tra. 7. à num. 898. Salmanticenses d. tra. 6. cap. 14. num. 45. & 46. & Tamburin. d. libr. 5. cap. 6. §. 2. ubi num. 16. notat, si in confessione tantum Confessarius sciat, Ecclesiam esse pollutam, potest in ea celebrare, si desit prætextus prudentialis evitandi necessitatem celebrandi abique manifestatione notitiæ habitæ in confessione.

Quo ad Ultimum; in quo queritur, Quæ pena sit puniendus Confessarius frangens Confessionis Sigillum? ante responsum notanda est celebris doctrina Patris Gobati in Quinario tra. 5. cap. 42. scilicet 7. qui à num. 181. & seqq. docet admodum, & jur. dicè differit de modo formandi processum contra Confessarium querelatum, vel diffamatum, quod frangerit Sigillum Confessionis, & revelaverit mortale peccatum sui pœnitentis, ad effectum, ut probato delicto, possit Confessarius puniri; & idè ait, observandum, quod Jurex in primis, & ante omnia debet obtinere licentiam ab ipso Pœnitente inquirendi, ac testes examinandi super prædicta fractio Sigilli; quod si Pœnitens recuset dare dictam licentiam, nefas est formare processum; ea ratione, quia omnes, qui audierunt peccatum Pœnitentis sive mediatè, sive immediatè, sive licite, sive illicite, obligati sunt ad illud tenendum sub eodem Sigillo, ut diximus supra num. 6. & 7. & probant omnes DD. quos longa serie allegat idem Gobatus

batus d. trañ. 5. cap. 42. à num. 186. unde concludit num. 194. Nullum illorum, qui mediât, vel immo diât cognoverunt ex confessione aliquod peccatum detectum à Confessario alicuius sui penitentis, posse restari in iudicio, quòd Confessarius dictum peccatum revelaverit de Pœnitente. Imò subdit num. 195. multò minus Confessarium ipsum fateri posse in iudicio sine licentia penitentis, se revelasse aliis peccatum ejusdem penitentis; adeò si non præcedat dicta licentia; & testes id deponant in iudicio, ac Confessarius hoc ipsum fateatur, totus processus sit nullus; neque ex eo Confessarius possit puniri ex Menochio, Baldo, Gomezio, Delrio, & aliis, quos refert, & sequitur Dicaillus De Pœnitentiâ disp. 12. num. 60. Igitur cautè procedant Curie Episcopales in huiusmodi querelis, scientes, licentia Pœnitentis deficiente, non esse licitum inquirere, neque processum formare ob venerationem debitam Sigillo Sacramentali.

Quòd si obtineatur dicta licentia, & probetur delictum fractionis Sigilli, & Confessarius de hoc gravissimo crimine convincatur; pœna antiquorum Canonum erit depositionis, & perpetuæ peregrinationis ex cap. Sacerdos. De Pœnit. dist. 6. Sed quia eadebat in dedecus Ordinis Sacerdotalis dicta peregrinatio, fuit commutata à Concilio Lateranensi in cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & Remiss. in pœnam perpetuæ detractionis in Monasterio. Diaz in Praxi crimin. cap. 112. Menochius de Arbitr. Jud. casu 414. Thesaurus de Pœnit. part. 2. Verb. Confessio cap. 4. subdens, quòd hodie dicta pœna est vel carceris, vel tritremium, & Reus, ob infamiam, post condemnationem, afficitur etiam pœna irregularitatis. Majolus eod. trañ. lib. 5. cap. 19. num. 6. Porò ubi hæc fractio Sigilli causasset magna scandala, vel notabilia detrimenta penitenti, iniquus Confessarius esset degradandus, ac brachio seculari tradendus, puniendusque morte corporali, ut olim factum fuisse Venetis testatur Felicianus de Degradatione cap. 14. quem refert idem Gobatus d. trañ. 5. cap. 42. num. 183. Horrendum quippè est aliud consimile exemplum, quòd legitur apud P. Theophilum Raynaudum in Prælo Spirituali, seu in Centuria Historiarum, ejus Operum tom. 17. num. 13. fol. 604. & transcribitur ab eodem P. Gobato d. cap. 42. num. 197. videlicet, apud Tolosates anno 1579. cùm quidam Caupo truculentus exceptum hospitio advenam clam jugulasset, ac in hypogæo sepelisset; post aliquod tempus, penitentia ductus, confessus fuit crimen tam immane Sacerdoti; interim parentes advenæ, eo non comparente, fecerunt à justitia proponi præmium illi, qui renunciarent, si quid de illo scirent. Proh scelus? Cauponis Confessarius, quæstum æstimates pietatem, flocci faciens Sigillum confessionis, revelat iudicibus peccatum sui penitentis, & locum sepulti advenæ. Resolvo cadavere carceratur Caupo, qui crimen, antequam ad tormenta poneretur, confessus est; addens à nullo alio potuisse sciri, quàm à Confessario prædicto. Tunc Senatus Tolosanus apprime Catholicus Cauponem innoxium dimisit; & processum irritum habuit, donec aliundè venirent indicia. Sacerdotem verò Sigilli fractorem, ac sacrilegum, ab Episcopali Curia degradatum, ipse Senatus condemnavit in furcas, in quibus à carnifice, jugulatus est, deinde eius cadaver igne crematum. Hanc Senatus sententiam commendat Homobonus part. 1. Examin. trañ. 5. q. 110. Torreblanca lib. 4. Dæmonologia cap. 7. num. 17. & 18. ac ipse Gobatus ibid. num. 198. & 199. quia processus erat ipso jure nullus, tamquam formatus super sacrilega denunciatione cum violatione Sigilli Sacramentalis. Verùm notant DD. apud Dianam Coordinatum d. tom. 1. trañ. 8. res. sol. 18. & 59. existentibus in Veteri part. 5. trañ. 11. res. sol. 6. & res. sol. 51. quòd supradicta rigorosè

pœnæ, vel mortis, vel tritremium, non insignuntur, sed mitiores, quando Confessarius revelavit non peccata, sed aliquas imperfectiones penitentis; vel cum eo tantum locutus est de peccatis confessis absque licentia; excepto casu supradictum defectum præterita confessionis; tunc enim absque licentia penitentis potest cum illo de peccatis per eum confessis sermonem habere; ut communiter docent Theologi apud ipsum Dianam Coordinatum d. tom. 1. trañ. 8. res. sol. 54. res. sol. 55. & res. sol. 56. ubi tamen ab hac doctrina recedit; sed eam amplectitur, ac defendit Emin. Card. de Lauræa d. disp. 21. num. 279. & seqq.

DECISIO L.

ARGUMENTUM.

Agitur de Præcepto tum Divino, tum Ecclesiastico annuæ Confessionis. Ostenditur, quas personas utrumque afficiat? Quando, & quomodo intra annum sit confitendum? Quæ causæ exculent ab annua Confessione? Circa eam Quæstiones diversæ utiles, ac jucundæ. Præcipue, an Papa teneatur confiteri? An Deipara Sacramentum Pœnitentiæ susceperit? Et an peccata confessis, & remissa in hac vita sint ab omnibus videnda in die Judicii?

SUMMARIUM.

- 1 Præceptum duplex de Sacramento Pœnitentiæ sumendo; Divinum, & Ecclesiasticum. Divinum quas personas, & quo tempore obliget? num. 2. & num. 4.
- 2 Deipara an Sacramentum Pœnitentiæ susceperit?
- 3 Præceptum Ecclesiasticum de annua Confessione unde sit? Et quas personas obliget? num. 6.
- 4 Venialium confessio an possit esse de Præcepto?
- 5 Papa an teneatur confiteri semel in anno?
- 6 Annuus quomodo computandus pro Præcepto Confessionis?
- 7 Confessio quando reiteranda sit eodem anno pluries de Præcepto?
- 8 Confessio invalida adimpleri Præceptum est opinio damnata.
- 9 Causæ quinquæ excusantes à Præcepto annuæ Confessionis.
- 10 Medicorum obligatio pro Confessione infirmorum.
- 11 Peccata hic remissa an in die Judicii sint ab aliis videnda?

**R**estat pro conclusione hujus operis, ut de Præcepto Sacramentalis Confessionis breviter differamus. Est igitur sciendum duplex esse Præceptum de susceptione Sacramenti Pœnitentiæ. Unum Divinum, alterum Ecclesiasticum. De Præcepto Divino præter testimonium Concilii Constantiæ sess. 8. & Florentiæ in Decreto Unionis, habemus definitionem Concilii Tridentini sess. 14. cap. 5. in principio: peccatorum confessionem omnibus post baptismum lapsi jure divina necessarium existere, & post plura verba finem, ibi: Manifestè resellitur inanis eorum calumnia, qui eam (confessionem Sacramentalem) à Divino mandato alienam, & inventum humanum esse; atque à Patribus in Concilio Lateranensi congregatis, initium habuisse, docere non verentur Idcirco anathemate feriuntur can. 6. & can. 7. asserentes Sacramentum Pœnitentiæ non esse de Jure Divino. Præceptum verò Ecclesiasticum habetur expressum in cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & Remiss. ac de utroque differunt Eminentissimi Cardin. de Lauræa de Pœnit. disp. 23. à num. 56. & seqq. nec non Maffius in Theolog. Moral. disp. 21. art. 1. num. 131.

De

De Præcepto Divino Sacramentalis Confessionis duo præcipua disputant Scholastici, videlicet, quas personas afficiat? Et quo tempore obliget? Circa personas concordant omnes, hoc Divinum præceptum afficere homines baptizatos ad usum rationis perventos, qui in peccatum mortale lapsi sunt. Idem Eminentissimi Card. de Lauræa d. disp. 23. num. 98. Eminentissimi Cardin. de Lugo disp. 15. sect. 7. Maffius d. disp. 21. num. 152. novissimè Salmanticenses De Sacramento in genere trañ. 6. cap. 7. punct. 1. à quibus deducitur, ad hoc Divinum præceptum confitendi Sacramentaliter non teneri Infideles, seu paganos non baptizatos; infantes, puerolve nondum usum rationis adeptos; adultos fatuos ratione carentes; neque fideles, qui in gratia Dei viventes non committunt mortalia; et si in venialia labantur. Hinc multò minus hoc præceptum afficit illos, qui ex speciali Dei gratia abstinent à mortalibus, & à venialibus, idcirco Beatissima Virgo Deipara, quæ toto vitæ sue tempore fuit immunis à peccatis tam mortalibus, quàm venialibus ex Trid. Conc. sess. 6. can. 13. non fuit obligata huic præcepto; & quamvis susceperit Sacramentum baptismi, Sacramentum penitentia non susceperit; cùm nunquam haberet materiam neque necessariam, neque sufficientem hujus Sacramenti. Idem Emin. Card. de Lauræa disp. 23. num. 100. 107. & 108. Et Suarez in 3. part. D. Thom. tom. 2. disp. 18. sect. 3. ubi ostendit, quæ Sacramenta fuerint suscepta à Virgine Matre Dei Sanctissima; & quæ non? Utrum autem Muti, qui non possunt, nec non peregrini, quorum Idioma, qui non possunt, nec non infirmi, quorum Idioma, seu loquelam non intelligit Confessarius, afficiantur hoc Divino præcepto, ita ut teneantur confiteri per interpretem, natus, vel scriptum quando idem Divinum præceptum urget, quod solet esse in articulo mortis? Tutor est opinio affirmativa, cessante periculo revelationis, seu infamiae. Ita DD. quos cumulant Salmanticenses d. trañ. 6. cap. 7. punct. 2. Eminentissimi Card. de Lauræa d. disp. 23. art. 6. §. 6. & §. 7. ac etiam Maffius in Theolog. Moral. d. disp. 21. num. 155. & 157. & nos supra Decif. XXII.

Quo verò ad tempus, in quo obligat Divinum præceptum confitendi peccata, distinguunt Theologi obligationem per se ab obligatione per accidens; obligat per se in articulo, & in periculo mortis; ut dictum est supra Decif. XI. n. 2. Hinc dum quis morbo mortali laborat, & lapsus est in mortalia, tenetur ex præcepto Divino confiteri. Item qui se exponit mortis periculo, prout ingredienti bellum, longam navigationem, suscepturi periculosum remedium corporale, mulieres noviter parituræ, vel difficilem partum expertæ; hi enim omnes tenentur ex præcepto Divino confiteri priùs peccata. DD. apud eisdem Salmanticenses d. cap. 7. à num. 1. & seqq. Emin. Card. de Lugo d. disp. 15. sect. 7. Eminent. Card. de Lauræa d. disp. 23. à n. 179. & seqq. & Maffius d. disp. 21. à num. 159. qui omnes deducunt, extra prædictos duos casus hoc Divinum Præceptum non determinasse tempus præcisiuum ex se faciendi confessionem; sed hanc determinationem temporis reliquisse arbitrio Ecclesiæ, quæ determinavit unam vicem saltem in anno in cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & Remiss. ut infra dicemus. Obligat autem per accidens Divinum præceptum tum Sacerdotes administratores Sacramenta, si lapsi sint in mortalia, & habeant copiam Confessarii; tum alios Christi fideles, qui suscepturi sunt Eucharistiam, vel aliud Sacramentum; si pariter peccato gravi maculatam habeant conscientiam, ut iustus, ac rationibus demonstrat Eminentissimi Card. de Lauræa ead. disp. 23. à num. 196. usque in finem. & Maffius d. disp. 21. n. 162. ubi ait, obligationem Divini præcepti non afficere, neque statim post commissis mortalia, neque si ex di-

De Sacramento Pœnitentiæ.

lacione confessionis periculum sit obliviscendi eorum aliquod, vel si declinare non possit aliquam tentationem credatur sine prædicto confessionis. Emin. Card. de Lugo d. disp. 15. sect. 4. De Lauræa d. disp. 23. art. 7. §. 5. Gobatus in Experim. Theol. trañ. 6. Casu X. à num. 250. usque ad 262. & nos ostendimus supra Decif. XI.

Circa Præceptum Ecclesiasticum suscipiendi saltem semel in anno Sacramentum Pœnitentiæ, constat de eo in cit. cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & Remiss. in quo ita jubetur: Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit omnia sua solus peccata, semel saltem in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti. Esse autem præceptum, non autem merum consilium constat ex verbis ibidem paulò post sequentibus: Alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arcetur; & moriens christiana careat sepultura. Quod latius comprobatur Emin. Card. de Lauræa disp. 24. art. 1. §. 2. Cæterùm cùm plurima quæstia faciant Theologi circa hoc præceptum, & varia dubia examinent, ea omnia reduci possunt ad quatuor genera; scilicet ad personas; quæ huic præcepto tenentur; ad tempus, in quo illud est adimplendum; ad modum adimplendi; & ad causas excusantes ab adimplimento.

Quo ad Personas, Regula est sine exceptione, quòd omnes baptizati, cùm ad usum rationis pervenerint, tenentur ex hoc præcepto suscipere Sacramentum Pœnitentiæ; si lapsi sint in gravia peccata; quamvis non sint apti sacram Eucharistiam manducare, vel ex defectu ætatis, vel ex aliquo corporali impedimento, puta tui, catarrho, aut vomitu, siquidem sunt duo præcepta distincta; illud Confessionis, & illud Communionis; ut docet Gonet de Sacram. Pœnit. disp. 8. art. 2. ac pluribus DD. citatis Collegium Salmanticense d. trañ. 6. cap. 7. num. 25. & seqq. ubi colligit, hoc præceptum afficere etiam hæreticos, & apollatas: eos quoque qui habent tantummodò peccata mortalia interna; non autem eos, qui habent venialia tantùm; vel cum venialibus haberent unum mortale, quòd hic, & nunc ex legitima causa non essent obligati confiteri, ut tenet Suarez tom. 4. disp. 36. Eminentissimi Card. de Lugo disp. 15. sect. 7. num. 175. & alii apud Dianam parti. 3. trañ. 4. res. sol. 75. & 125. Quæ resident in Coordinato tom. 1. trañ. 3. res. sol. 6. & 61. Disputant verò hic DD. an Ecclesiæ possit præcipere confessionem venialium? Alii negant, alii affirmant, eosque citant Salmanticens. d. trañ. 6. c. 7. num. 31. & ad hæc affirmantibus, prout facit etiam Eminentissimi Card. de Lauræa d. disp. 24. à num. 102. & seqq. ea ratione, quia honestum, ac proficuum est animabus confiteri venialia, & sicut ad hæc consistenda potest quis seipsum obligare ex voto, ita valet adstringi ex præcepto; prout de facto adstricti sunt Monachi Benedictini per Clem. Ne in agro. §. Sanè. De statu Monachor. ubi eis imposita est obligatio confitendi semel in mense; quamvis ex perfectione vitæ, quam faciunt, credantur non habere nisi venialia. Uterius controversunt Scholastici, an Papa sit obligatus huic præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis? Et resolutio est affirmativa ex vi directiva, & ne causetur scandalum fidelibus; negativa autem ex vi præceptiva, quia Supremus Legislator non cogitur stare Legi; idque pluribus rationibus confirmat ipsemet Eminentissimi Card. de Lauræa ead. disp. 24. art. 4. n. 138. & 139. qui limitat; quando Papa vult celebrare, vel recipere, aut ministrare aliis Sacramenta; tunc enim, si sit in mortali, tenetur sicut ceteri homines suscipere Pœnitentiæ Sacramentum. Idem docet Fagnanus in d. cap. Omnis. de Pœnit. & Remiss. à num. 23. & seqq. dicens, Papam vi compulsivam non ligari hoc præcepto de confitendo semel in anno.

N 2